MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80275-25

AUTHOR:

STALLBAUM, GOTTFRIED

TITLE:

EXAMEN TESTIMONIO-
RUM DE PHAEDRI...

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1849

Master Negative #

91-80275-25

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Stallbaum, Gottfried, 1793-1861.
Examen testimoniorum de Phaedri Platonici tempore natali antiquitus proditorum ... Lipsiae, ex officina Staritzii, 1849.
25 p. 22 cm.

"Prolusio qua ad duos solemnitates in schola Thomana propediem obeundas patronos ac fautores ... invitat Godofredus Stallbaumius ..."

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9-26-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

EXAMEN TESTIMONIORUM
DE PHAEDRI PLATONICI TEMPORE NATALI
ANTIQUITUS PRODITORUM.

PROLUSIO

QUA

AD DUAS SOLEMNITATES

IN SCHOLA THOMANA

PROPEDIEM OBEUNDAS

PATRONOS AC FAUTORES

REI SCHOLASTICAE

OMNI QUA DECET PIETATE

INVITAT

GODOFREDUS STALLBAUMIUS

RECTOR.

LIPSIAE MDCCCXLIX.

PRODIIT EX OFFICINA STARITZII,

ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

Quam superiore anno de Phaedri Platonici primordiis in lucem emisimus commentationem, ea caussas et rationes exposuimus, cur nobis videretur nobilissimi operis scriptio non ad iuventutem, sed ad maturiorem aetatem auctoris referenda esse. Docere enim ea conati sumus, ipsum libri argumentum ita comparatum esse, ut eo diligentius considerato vix dubitari queat, quin eius origines maxima cum verisimilitudine ad Olymp. XCVIII. in. pertinere existimentur. Quam quidem sententiam nostram quum liceat etiam copiosius exponere certiusque confirmare, quandoquidem etiam necessitudo et coniunctio Phaedri cum Symposio ea est, unde non mediocriter stabiliantur et communiantur quae ea de re disputavimus; tamen nolumus nunc in harum rerum commentatione diutius subsistere, ne forte videamur oblata scribendi opportunitate intemperantius abusi esse. Progredimur igitur ad alia, quae cum hoc disputationis argumento coniuncta sunt, idque facimus tanto lubentius, quo plus ea momenti videntur habitura esse ad caussam controversam aliquando prorsus dirimendam. Quippe examinandum est etiam pondus argumentorum, quae ad tuendam contrariam sententiam in medium allata sunt, quo demum facto aliquando futurum erit, ut quae opinio inde ab antiqua aetate usque ad hunc diem fere omnium communis fuit, ea tandem rectius aestimetur et quibus caussis et rationibus nixa sit, plenius intelligatur. Hoc igitur in praesenti ita peragere proposi-

tum est, ut saltem partem amplissimae copiosissimaeque quaestionis pertractemus ac, si fieri possit, ad liquidum perducamus.

Sunt autem argumenta, quibus viri docti ad probandum demonstrandumque iuvenilem Phaedri Platonici ortum usi sunt, duplicis potissimum generis. Aut enim nituntur disertis veterum scriptorum testimoniis, ideoque recte videntur *externa* appellari posse; aut argumentationis ope ex ipsius scripti Platonici indole ac natura ducta sunt, ut ea non inepte *interna* vocaveris, quippe non extrinsecus arcessita, sed ex ipso opere, de quo quaeritur, argumentandi subtilitate repetita. Utrumque genus facile apparet multum inter se diversum esse. Ex quo consequitur, ut utrumque etiam peculiarem sibi deposcat disputationem. Itaque nec inepte fecisse existimabimur, opinor, si in praesenti, missa de internis argumentis quaestione, externa tantum exploremus, et quamnam ea vim et gravitatem habeant, singulari opera disquiramus. Quam quidem rationem tenuisse eo magis iuvabit, quod ita etiam brevitati consulemus neque cogemur fines scriptioni scholasticae constitutos ultra quam fas est excedere.

Extant vero duo omnino veterum scriptorum de re controversa testimonia, quae iuvenilem Phaedri originem liquido testari videantur, alterum Diogenis Laërtii, alterum Olympiodori, philosophi Platonici, quem nuper Frider. Creuzerus Praefat. ad Initia Philosophiae et Theologiae ex Platonicis fontibus ducta Part. II. p. XIV. sub imperio Iustiniani floruisse ac Damascii si non aequalem, at certe supparem fuisse luculenter demonstravit. Diogenes enim Vitt. Philosophor. Libr. III. §. 38. famam esse scribit a superioribus scriptoribus memoriae proditam, dialogum omnium primum, quem Plato litteris consignaverit, Phaedrum fuisse; habere enim argumentum eius aliquid puerile, ac Dicaearchum quoque, Peripateticum, scribendi genus, quod in eo regnet, tamquam putidum et ineptum reprehendisse. Olympiodorus

autem Vit. Plat. p. 78. ed. Fischer. = p. 584. ed. Menag. arbitratur, quod vulgo narrari soleat, Platonem dithyrambicae poësi dedisse operam, id inprimis cognosci et intelligi licere ex Phaedro, in quo dialogo plane regnet spiritus dithyrambicus, quippe quum philosophus ipsum, sicuti fama ferat, omnium primum composuerit. Haec igitur sunt veterum scriptorum testimonia, unde viri docti apparere censuerunt, iam apud veteres criticos eam viguisse sententiam, ut Phaedrus a iuvene philosopho scriptus existimaretur. Nam quod praeterea etiam scriptorem Anonym. in Tychsenii et Heerenii Biblioth. Fascic. V. p. 11. = p. 391. ap. Westermann. Vitarum Scriptt. idem testari arbitrati sunt, est is merus error opinionis, quandoquidem hic officit potius Olympiodori narrationi, sicuti mox alio loco videbimus. Quamquam vero singularis est ista testium paucitas, tamen dubitari non potest, quin eorundem auctoritas minime levis et exigua fuerit, quandoquidem hac una maxime effectum videtur esse, ut plurimi critici et interpretes ad eorum partes traherentur, qui librum, de quo quaerimus, Platonis adolescentiae tribuendum censuerunt. Quo studiosius id nobis agendum erit, ut quid de horum testimoniorum gravitate existimandum sit, quam diligentissime exquiratur.

Fateri autem statim in principio disputationis nostrae licebit, nobis quidem auctoritatem atque vim eorum adeo levem et exiguam videri, ut nec Laërtio nec Olympiodoro in hac caussa multum tribuendum putemus. Cuius quidem sententiae nostrae caussae et rationes si requirantur, sunt illae potissimum duplices. Nam primum quidem illorum testimonio mirum quantum officit aliud antiquitatis testimonium idque haud paullo gravius; quo certe efficitur, ut de illius veritate iusto iure dubitare liceat. Deinde quae a Diogene et Olympiodoro litteris perscripta sunt, ea ubi diligentius examinantur, fieri certe non potest, quin continuo malae fidei suspicionem moveant, quandoquidem vel mala calumnia vel turpi errore nata sunt, neque certi alicuius scriptoris confirman-

tur auctoritate. Quod quidem quo clarius intelligatur recte vereque ita a nobis iudicari, age de utraque hac malae suspicionis caussa ordine deinceps ita exponamus, ut gravissima rei momenta pro viribus examinemus.

Itaque primum quidem fidem eorum, quae a Diogene et Olympiodoro de originibus Phaedri narrantur, vehementer labefactari ac tantum non convelli existimamus eo, quod iis adversantur alia, quae de eodem libro antiquitus memoriae prodita sunt. Nam quod eiusdem rei mentio apud nullum scriptorem antiquitatis, neque apud Apuleium, qui Speusippi commentariis domesticis usus est, neque apud Ciceronem, Plutarchum, Grammaticos, alios, usquam iniicitur, id quantumvis alicui scrupulum iniiciat, siquidem mirum accidit commune istud in tali caussa silentium, tamen urgere nolumus aut inde malae suspicionis repetere caussas et argumenta. Sunt enim profecto plurima, quae, quantumvis mentione dignissima videri debuerint, tamen saepe vix ab uno alterove scriptore memorata sunt eoque interdum etiam viliore neque magna auctoritate insigni. Sed sunt, ut diximus, alia antiquitus tradita, quae cum Olympiodori ac Diogenis narratione tamquam adversa fronte pugnare existimanda sunt, siquidem omnis eorum ratio diligentius expendatur. Loquimur de iis, quae disertis verbis exponit Cicero in Oratore c. 13. §. 41. Ibi enim de loco Phaedri p. 279. A. B., ubi Socrates de Isocrate olim praestantissimo rhetore futuro optima quaeque vaticinans inducitur, haec scribit: *Haec de adolescente* (Isocrate) *Socrates auguratur. At ea de seniore scribit Plato, et scribit aequalis, et quidem exagitator omnium rhetorum. Hunc miratur unum.* Is igitur liquido testatur, Isocratem, quo tempore Phaedrus litteris consignatus sit, aetate iam fuisse *seniorem* itemque *aequalem* ipsi Platoni. Quid vero? Ponamus aliquantisper, verum esse quod isti volunt, qui Phaedrum adolescentiae Platonis attri-

buunt, ac facile perspicietur, quantopere Ciceronis ratio cum Diogenis et Olympiodori narratione dissentiat. Nam ea sententia comprobata prorsus necesse est Phaedrus iam ante Socratis obitum scriptus atque editus fuerit, id quod etiam propter ea, quae Diogenes Libr. III. §. 35. de Lyside dialogo Socrati aliquando recitato narrat, ita statuatur necesse est. Iam vero Socratem constat Olymp. XCV. a. 2. h. e. a. 399. a. Chr. n. diem supremum obiisse. Isocrates autem communi veterum scriptorum sententia natus est Olymp. LCCCVI. a. 1. h. e. anno 436. a. Chr. n. de quo v. Dionys. Hal. Isocr. in. p. 534. ed. Reisk. Anon. Vitam Isocratis in Isocratis Opp. ed. Dindorf. in. Plutarch. Vitt. X. Oratt. p. 836. Diogen. Laërt. III. 3. Phot. Biblioth. Cod. 260. p. 486. ed. Bekker. Suid. s. v. Ex quo consequens est, ut hic nullo pacto *senior* extitisse potuerit quo tempore ex ista ratione Phaedrus scriptus esse putatur, etiamsi verum esse largiaris quod Censorinus De Die Nat. c. 15. auctore Varrone scribit, *seniores dictos esse, qui fuerint in quarto aetatis gradu* (inde ab anno aetatis quadragesimo quinto) *ad usque sexagesimum annum.* Nam ut Phaedrus proximo demum ante Socratis obitum anno compositus sit, vel ex hac ratione Isocrates tum non plus quam triginta sex fere annos natus fuit. Atqui longius etiam progrediuntur qui sermonem Platonis iuvenilis ingenii foetum esse volunt. Nam Fridericus quidem Astius De Vita et Scriptis Platon. p. 111. coll. p. 21. origines eius ad Olymp. XCIII. 2. refert; Aug. autem Boeckhius in Philolao p. 104. et in Commentatione de Reipublicae Platon. temporibus p. 8. eundem ait non multo post Olymp. XCII. 2. scriptum videri. Neque ab horum ratione multum recedunt alii, in quorum numero habendus est etiam qui novissime de Phaedro Platonis subtilius disputare instituit, Aug. Bernardus Krischius, Gottingensis. Is enim in libro bonae frugis plenissimo: *Ueber Platons Phaedrus.* Götting. 1848. 8. p. 133. sqq. librum cir-

citer Olymp. XCIII. 2 vel 3. ac fortasse etiam aliquot annis ante scriptum esse arbitratur. Unde quid consequatur, facile intelligas. Habuit enim Isocrates tum quidem annos non plus quam viginti octo aut summum novem, ut *adolescens* potius quam *senior* appellandus fuerit. Enimvero ex hoc ipso sane clarissime perspicitur, vere Ciceronem monere, Socratem ista de Isocrate adolescente per dialogi verisimilitudinem narrare. Nam habitum fingi sermonem intra Olymp. XCII. 1. et XCIII. 3. pro certo et explorato habetur, sicuti ipsi ostendimus Comm. *De Phaedri primordiis* p. 5. sq. Neque vero negligendum est, quod idem Cicero affirmat, Platonem ista scripsisse Isocrati fere aequalem, hoc est, ipsum quoque iam seniorem factum. Unde satis certo coniicere licet, petita haec esse ex fontibus uberrimis atque limpidissimis, e quibus pleniorem accuratioremque de studiis Platonis notitiam haurire liceret. Quippe fuit Isocrates teste Diog. Laërt. III. 2. Plutarch. Vitt. X. Orator. p. 836. E. Anonym. Vit. Plat. ap. Heeren. p. 9. sex tantum septemve annis maior aetate, quam Plato, quod prorsus congruit cum narratione eorum, qui philosophum Olymp. LXXXVII. 3. natum esse perhibent. Verum istud quidem in praesenti mittamus; pertractabuntur enim loco opportuniore. Illud unum nunc diligenter tenuisse iuvabit, Ciceronis testimonium Olympiodori ac Diogenis narrationi utique plurimum adversari, quandoquidem haec si pro vera probetur, Ciceronis auctoritas plane evertitur; huius autem sententia probata protenus de fide utriusque illius scriptoris actum est. Iam vero in tanta horum scriptorum dissensione cuinam tandem arbitrabimur plus tribuendum esse, bono Diogeni aut Olympiodoro, an potius Ciceroni? Enimvero nos quidem si audis, data optione sine ulla dubitatione Ciceronem putabis testem esse utroque illo multo locupletiorem ac fide digniorem. Is enim quemadmodum utroque illo aetati Platonis aliquanto fuit propinquior, ita eosdem etiam diligentia atque fide in adhibendis dictorum suorum fontibus longissime superavit.

Etenim Diogenes quidem etsi plurima memoriae prodidit quantivis pretii et sine quorum notitia historia philosophiae multis nominibus graviter laboraret, tamen magnopere dolendum est, quod librum suum tantum non tumultuaria opera conscripsit atque sine diligenti veri falsique disquisitione undique consarcinavit quae ad rem suam facere viderentur. Quod ne ipsi praeiudicata aliqua ducti opinione ita statuisse videamur, protulisse iuvabit virorum doctorum iudicia, quibus ea de re etiam certius edoceamur. Itaque Isaacus quidem Casaubonus, cuius operam constat Diogenis operi non una ex parte perquam salutarem extitisse, Praefat. p. 577. ed. Meibom. non dubitavit profiteri, videri Diogeni in scribendo opere suo aut vacillantem memoriam saepe fraudem fecisse, aut defuisse otium iudiciumve ad ea digerenda, quae satis confuse digessisset. Nec Petrus Baylius, acerrimi vir iudicii, multo sensit aliter. Is enim in Lexico s. v. Diogenes p. 365. sq. Diogenis in rebus enarrandis accurationem non maiorem censet esse quam in iis aestimandis iudicandisque subtilitatem. Assentitur his etiam I. Rossius in Commentatt. Laërt. p. 248. quippe qui de eius negligentia et obscuritate vehementer conqueritur eiusque vitii permulta affert exempla, quorum maximam esse evidentiam nemo quisquam infitias iverit. Accedit ad haec, quod bonus scriptor sese nimis saepe splendidis posteriorum Platonicorum, Peripateticorum, Epicureorum, aliorumque commentis ac mendaciis decipi passus est, sicuti docta disputatione evicit Io. Luzacius Lectionn. Attic. p. 129. sqq. Haec igitur Laërtii in enarrandis rebus singulis auctoritas ac fides est: quem etsi nemo nisi homo temerarius negaverit de historia philosophiae utique egregie meruisse eo, quod multa ad posteritatis memoriam prodidit scitu dignissima, ita nec quisquam iure affirmet rerum ab ipso traditarum satis certum auctorem esse locupletemve testem. Ac simile quid profecto etiam de Olympiodoro iudicari oportet. Nam istum quoque compertum habemus sine acriore

mentis indicio undecunque arripuisse quae doctrinae et eruditionis laudem allatura viderentur, coecaque credulitate accepisse atque probavisse quae superiores philosophi temere commenti essent. Cuius rei documenta vel una ista vita Platonis satis insignia exhibet, in qua de Phaedri originibus exhibetur testimonium. Nimirum ferebat sane ita temporum, quibus vixit, ratio et inclinatio, ut rariora studiose captarentur, mira et incredibilia operose conquirerentur, portentosa non sine iactatione proponerentur, quo magis exquisitae scilicet doctrinae laus vel compararetur vel comparata sustentaretur. Quid igitur? Horum scriptorum fidei Ciceronis auctoritatem longissime anteponendam esse nonne recte vereque arbitrabimur? Enimvero is certe vel ideo illis testis est fide dignior, quia temporum, quibus vixit, rationes eum tutum a posteriorum aetatum fraudibus et erroribus praestiterunt. Accedit autem, quod omnino in iis, quae ad philosophiae et eloquentiae historiam pertinent, enarrandis atque exponendis limpidissimis narrationum suarum fontibus usus est. Id quod inprimis etiam ita iudicari oportet de iis, quae ab ipso de Isocrate atque Lysia referuntur. In his enim ducem vel auctorem habuit potissimum Aristotelem, sicuti ipse aliquoties disertis verbis indicat, veluti in Bruto 48. Quocirca nec ea, quae in Oratore de Phaedri Platonici temporibus prodidit, de vano hausisse existimandus erit, id quod tanto minus statui poterit, quo accuratius pleniusque de rebus ad ea pertinentibus exposuit.

Iam vero haec si recte vereque a nobis disputata sunt, vix opus erit exponere copiosius, quid inde de Laërtii atque Olympiodori testimonio, quod examinandum suscepimus, colligi liceat. Enimvero labefactatur illud sane Ciceronis narratione adeo, ut fides eius atque auctoritas non dicam perquam exigua, sed propemodum nulla relinquatur. Sed aliquanto minus etiam ponderis habere illud videbitur, ubi idem etiam per se spectaverimus atque Laërtii et Olympiodori

verba diligentius consideraverimus. Quo facto luculentissime, opinor, apparebit, nec certi quidquam iis proditum esse et pleraque omnia, quae narrantur, ex mala fraude turpique errore duxisse originem. Quod quo certius cognoscatur ab omnibus quo iure ita dicamus, age utrumque scriptorem seorsum audiamus, et quid sit quod scripserit, paullo accuratius exquiramus.

Primus igitur prodeat in medium Diogenes Laërtius. Is vero libr. III. c. 25. posteaquam narravit quorundam sententia Philippum Opuntium Legum operi ultimam manum admovisse eidemque etiam Epimenidem de suo adiecisse, hunc in modum pergit explicare: *Εὐφορίων δὲ καὶ Παναίτιος εἰρήκασι, πολλάκις ἐστραμμένην εὑρῆσθαι τὴν ἀρχὴν τῆς πολιτείας· ἣν πολίτειαν Ἀριστόξενός φησι πᾶσαν σχεδὸν ἐν τοῖς Πρωταγόρου γεγράφθαι Ἀντιλογικοῖς· λόγον δὲ πρῶτον γράψαι αὐτὸν τὸν Φαῖδρον· καὶ γὰρ ἔχει μειρακιῶδές τι τὸ πρόβλημα· Δικαίαρχος δὲ καὶ τὸν τρόπον τῆς γραφῆς ἐπιμέμφεται ὡς φορτικόν.*

Haec igitur verba Diogenis sunt. Quae utcunque spectaverimus, certe nulla eorum pars videbitur esse quin aliquid habeat dubitationis atque fidem ipsorum admodum suspectam faciat.

Etenim primum quidem vel universi loci conformatio ea est, quae iustae testimonii perspicuitati atque evidentiae parum conveniat. Est enim totus locus ex variis pannis atque laciniis male contextus, ut facile pateat, omnia festinata opera undique esse arrepta parumque apte composita. Quod ne temere ita iudicasse videamur, consideret mihi aliquis, quam varia et multiplicia uno tamquam spiritu proferantur et quam obscure et perplexe ea enuntiata sint. Nam primum quidem, facta Legum Platonicarum mentione, continuo refertur etiam Panaetii et Euphorionis quaedam de initio Reipublicae narratio. Subiungitur huic deinde Aristoxeni de eiusdem operis argumento sententia. Tum mentio iniicitur Phaedri dialogi ac de tempore ipsius natali monetur, quod tamen

ita fit, ut oratio insigni quadam ambiguitate obscurata sit. Dubium enim manet, quisnam ista de Phaedro memoriae tradidisse dicatur, Euphorio et Panaetius, an Aristoxenus. Nam sermonis certe structura ea est, quae utramque ferat interpretationem. Iam vero his propositis insequuntur deinde verba: *καὶ γὰρ ἔχει μειρακιῶδές τι τὸ πρόβλημα.* Quae manifesto sunt ipsius Diogenis, ut mirari sane liceat, subitam istam orationis rectae cum obliqua non tam permutationem quam confusionem. Denique etiam adiicitur Dicaearchi quoddam de Platonis elocutione iudicium, quod tamen facile ambigas quorsum pertineat. Potest enim ad omnem omnino Platonis dicendi scribendique rationem spectare; sed potest item unius Phaedri caussa additum esse, quod utique Diogeni videtur fuisse propositum. Quid igitur? haeccine putabimus ita esse comparata, ut iustum certumque testimonium continere existimanda sint? Nimirum quum varia atque diversa miro modo in unum commixta sint atque omnia temere veluti pleno sacco effundantur, tum inprimis ea, quae de Phaedro narrantur, non una ex parte laborant, ut non modo perspicuitas eorum desideretur, sed etiam veritas totius narrationis in dubitationem vocari queat. Certe quidem in ambiguo relictum est, quisnam ista de Phaedro narraverit. Nec vero quisquam erit quin moleste ferat quod universa oratio Diogenis admodum perplexa, scabra et hiulca est, qualem profecto in tali caussa nemo probaverit.

Sed praeterquam quod forma testimonii a Diogene exhibiti multiplicem habet difficultatem, etiam *materia* eius ita comparata est, ut ad fidem faciendam parum aut nihil valeat. Nam primum quidem origo ipsius incerta manet, sive Panaetius aut Euphorio sive Aristoxenus ista de Phaedri natalibus perscripsisse putetur. Deinde ne verisimile quidem videtur, Diogenem istam narrationem illis auctoribus tribuisse, qui eam aliunde potius accepisse iudicandus est. Porro quae afferuntur ad eam confirmandam argumenta, ea perquam inepta sunt, ut non videantur a criticis profecta esse, qui interiorem quandam hausissent sapientiae Platonicae notitiam. Denique etiam verisimiliter coniicere licet, unde narratio a Diogene memoriae prodita duxerit originem, qua origine patefacta fieri certe non potest, quin omnis eius fides atque auctoritas denique protenus corruat planeque evertatur. De quibus singulis ordine deinceps paucis explicare licebit.

Itaque primum quidem ne tum quidem de narrationis a Diogene proditae fide et auctoritate satis certo constare arbitramur, si scriptor eam ex Panaetii vel Euphorionis vel etiam Aristoxeni libris excerpserit, ita ut hi eam Diogeni suppeditavisse existimandi sint. Etenim Euphorionem ac Panaetium si eius auctores habeamus, quod sane per verborum Diogenis rationem facere licebit, protenus dubitatio oritur, unde tandem isti rem acceperint et ex quibus eam duxerint fontibus. Neque enim ipsi eam videntur invenisse. Certe quidem nusquam memoriae proditum legimus Euphorionem criticis Platonis studiis operam navasse. Panaetius autem Stoicus etsi teste Cicerone Tuscul. I. 32. Platonem tanti aestimavit, ut eum Homerum philosophorum dixerit plurimumque ab eo ad philosophiae disciplinam rationemque traduxerit (v. Cic. De Finibus IV. 28, 79.), tamen non tam id videtur egisse, ut librorum Platonicorum origines indagaret eorumque fidem certius exploraret, quam illud potius sequutus esse, ut omnino scriptorum genera dignosceret, et quid Socraticum esset, quid a Socratica ratione abhorreret, subtilius rimaretur. Nam ita intelligenda putamus quae de eo narrantur Diog. Laërt. II. 64. coll. III. 37. *πάντων μέντοι τῶν Σωκρατικῶν διαλόγων Παναίτιος ἀληθεῖς εἶναι δοκεῖ τοὺς Πλάτωνος, Ξενοφῶντος, Ἀντισθένους, Αἰσχίνου· διστάζει δὲ περὶ τῶν Φαίδωνος καὶ Εὐκλείδου· τοὺς δὲ ἄλλους ἀναιρεῖ πάντας*, h. e. *omnium vero Socraticorum dialogorum Panaetius censet solos Platonis, Xenophontis, Antisthenis atque Aeschinis germanam referre Socratis rationem ac*

disciplinam; de Phaedonis autem et Euclidis libris ambigit; ceteros omnes numero Socraticorum eximit. Ex quo loco, ut hoc tamquam obiter attingamus, nullo negotio cognoscas, qui fieri potuerit, ut Panaetius de Phaedonis Platonici auctoritate dubitavisse perhiberetur, sicuti factum est in Epigrammate, quod Leonidae Alexandrino tribuitur, Antholog. Graec. X. 358. ed. Iacobs. Nimirum non ille librum Platonis in dubium vocavit, sed Phaedonis et Euclidis dialogi num pro Socraticis essent probandi, ambigendum statuit. Itaque Panaetius et Euphorio si de Phaedri natalibus narraverunt, quae apud Diogenem perscripta leguntur, fecerunt id sine dubio tamquam per occasionem, quemadmodum etiam ea, quae de initio Politiae post Platonis obitum in ipsius tabulis reperto exposuerunt, videntur data opportunitate exposuisse, sicuti fecerunt etiam Quintil. Institutt. VIII. 6. Dionys. Hal. De Compos. Verb. c. 25. Vol. V. p. 209. ed. Reisk. Quod si ita est, sponte intelligitur, ignotum plane esse principem sententiae vel narrationis istius auctorem, neque plus ponderis illorum testimonio tribui licere quam incerto rumori undecunque accepto: cuiusmodi rumores atque fabulas iam Panaetii et Euphorionis aetate satis frequentes fuisse nemo dubitet, qui vel ea legerit, quae de his rebus doctissime commentatus est Io. Luzacius Lectt. Atticar. p. 128. sq.

Iam vero his utcunque exploratis videamus etiam, quid de narrationis auctoritate existimandum sit, si eam ab Aristoxeno profectam esse statuerimus, quod sane nec ideo praeter verisimilitudinis rationem fiet, quia ab hoc vitam Platonis litteris consignatam fuisse compertum habemus, cuius scripti etiam Diogenes meminit Libr. III. §. 8. III. §. 37. et V. §. 35. Facile autem intelligitur, ita alterutrum de duobus locum habere: aut enim Aristoxenus narrationem illam ab aliis accepit, aut ipse eam excogitavit suoque more exornavit. Quorum utrumcunque posuerimus, nihil certe inde consequi arbitramur, quod ad eius auctoritatem augendam firmandamque valeat. Est enim Aristoxenus auctor fidei plus quam dubiae ac suspectae. Quippe fuit ille natura et ingenio ad maledicentiam mire proclivis utpote tristis ac morosus simulque singularis doctrinae laudis appetentissimus. Quocirca praestantissimos quosque viros non dubitavit maligne arrodere, petulanter allatrare, denique de eorum laudibus invide detrahere. Cuius rei documenta profert Luzacius Lectt. Attic. p. 164. sqq. 195. et p. 232. sqq. Nimirum quae est hominum invidorum ac fastuosorum perversitas, putavit ille, sibimet ipsi tantumdem laudis accessurum esse, quantum aliis mala calumnia eripuisset. Inprimis vero in Platonem atque Socratem inclementius invectus est, in quos non erubuit turpissima quaeque mendacia atque opprobria coniicere. Cuius rei caussam si requiris, universe eam significavit Gellius N. A. XIV. 3. ubi, postquam mentionem iniecit quorundam de rebus Xenophontis atque Platonis librorum, ab eorum auctoribus docet neutiquam afuisse tacitos quosdam animorum motus et occultas simultatis et aemulationis mutuae caussas. Id quod inprimis etiam in Peripateticos convenit, qui Academicis eorumque principi Platoni omnibus modis obtrectare studuerunt, sicuti doctissime demonstravit is, quem iam saepe laudavimus, Luzacius l. c. p. 111. sqq. Atque iniquioris de Platone iudicii ab Aristoxeno expromti exemplum ipse locus Diogenis, de quo loquimur, exhibet. Affirmare enim ille adeo ausus est libros Reipublicae Platonicae ex Protagorae Antilogicis haustos esse. Quo nihil profecto potuit dici impudentius. Nempe homo calumniae studiosissimus, quo magis deprimeret et elevaret egregii libri dignitatem, quod in priorem Reipublicae partem quodammodo convenire videri poterat, id continuo ad integrum opus traducere non verecundatus est. Priorem nimirum eius partem, si quid indicare possumus, surreptam quodammodo ex Antilogicis Protagorae voluit non aliam ob caussam, quam quod ibi argute de vi ac natura iustitiae in varias partes disputatur. Quod ille pro ingenii sui

malignitate continuo sic interpretatus est, ut Platonem statuerit compilasse Protagorae scrinia. Haec vero quum Aristoxeni propria fuerit animi indoles ingeniique natura, facile existimari potest, quale putari debeat esse testimonium de Phaedri Platonici origine perhibitum, siquidem revera id ipsi tribuendum sit. Nam si illud accepit homo aliunde, non modo verus eius fons in occulto latet, sed etiam metus est, ne ab aliis accepta maligne corruperit et in alium sensum detorserit. Sin autem suam ipse dixit sententiam, suspicari licet, eum similiter hic atque in iudicanda Republica versatum esse. Nimirum quo facilius persuaderet legentibus, Phaedri scriptionem fuisse levidensem ac puerilem, arguta malitia eam attribuit philosophi adolescentiae, fortasse usus iisdem aut similibus argumentis, quibus in rem suam utitur bonus Diogenes.

Verum enim vero haec omnia quum eo valeant, ut fidem et auctoritatem eorum, quae Diogenes memoriae prodidit, perquam dubiam reddant, tamen in ea sumus sententia, ut ne fieri quidem recte posse existimemus, ut tota narratio a Panaetio et Euphorione aut Aristoxeno ad posteritatis memoriam propagata putetur. Suspicamur enim a Diogene nec Panaetium aut Euphorionem nec Aristoxenum tamquam eius auctorem fuisse laudatum; imo verba eius corrupta ac depravata esse nobis persuasimus. Scrupulum enim iniicit quod scriptum legitur: *λόγον δὲ πρῶτον γράψαι*, pro quo certe expectaveras *διάλογον δὲ πρ. γρ.* Praeterea offendit etiam, quod inde a verbis: *καὶ γὰρ ἔχει μειρακιῶδές τι τὸ πρόβλημα*, sic statim ab obliqua oratione ad rectam transitur, ita ut scriptor importune suum ipsius iudicium interponat alienis. Itaque veram verborum scripturam censemus esse hanc: *λόγος δὲ πρῶτον γράψαι αὐτὸν τὸν Φαῖδρον· καὶ γὰρ κ. τ. λ. fama fert primum ab eo scriptum esse Phaedrum.* Qua lectione restituta certe oratio non amplius erit tam misere inepta, quam servata vulgari scriptura unicuique videatur necesse est. Quippe fraudem fecit criticis vel scribis omissio verbi

ἐστίν. Quae tamen Diogeni neutiquam est inusitata. Ita enim, ne longe ab eo, quem tractamus, loco discedamus, Libr. III. §. 20. *τὸν μέντοι Πόλιδα λόγος ὑπὸ Χαβρίου ἡττηθῆναι.* Ibid. §. 23. *λόγος, ὅτι καὶ Χαβρίᾳ συνείπετο τῷ στρατηγῷ.* ubi certe nemo erit quin vel non monitus videat ad *λόγος* item *ἐστίν* intelligendum relinqui. Ac firmatur haec ratio etiam eo, quod ita Diogeni planissime convenit cum Olympiodoro. Is enim ubi narrationem de Phaedri ortu exposuit, addit denique *ὡς λέγεται*, quo plane idem significatur. Iam vero haec coniectura nostra si vera est, liquido apparet, testimonium istud etiam aliquanto minus ponderis et auctoritatis habere, quam si illud aut ab Aristoxeno aut ab Euphorione ac Panaetio profectum esse putari liceret. Nam his quidem scriptoribus si nota fuit illa narratio, certe satis antiqua fuit, quippe iam secundo atque tertio saeculo ante aeram Christianam doctis hominibus cognita. Sin autem incertum plane manet, quis eam prodiderit, potuit eam Diogenes etiam haurire ex turbidis fontibus scriptorum posteriorum, qui quam foede saepe historiam philosophiae atque narrationes de philosophorum vita atque studiis contaminaverint, nemo est hoc in genere litterarum paullo peritior, quin innumeris rei exemplis constare sciat.

Et hactenus quidem disputavimus de fonte, unde Diogenis narratio manaverit, quem vidimus omnino absconditum, retrusum, denique incertum esse. Quin etiam intelleximus, facile ita potuisse accidere, ut iam mature fieret lutulentus, quandoquidem iam tertio ac secundo ante aerae nostrae initium saeculo philosophiae historia multis magnisque mendaciis oppleri, posterioribus autem temporibus doctarum fabularum studium ita grassari coepit, ut mirum non sit, si etiam de vita ac studiis magnorum virorum multa mirabilia narrata sint, quae a veritatis ratione longissime recederent. Ex quibus omnibus certe tantum colligimus, quantum inde sponte consequitur, iis, quae a Diogene perscripta sunt, non adeo confidenter acquiescendum esse, praesertim quum et iporum

ratio atque conformatio tumultuariam scribentis operam arguat et libri Platonici argumentum iis parum convenire videatur. Atque augentur huius diffidentiae an suspicionis dicam caussae et rationes non mediocriter, ubi etiam ea examinaverimus, quae a Diogene deinceps de argumentis explicantur, quibus quis inductus credere possit narrationem istam de Phaedro ab adolescente Platone scripto utique veram esse.

Affert enim scriptor, testaturus scilicet narrationis propositae veritatem, etiam haec: *καὶ γὰρ ἔχει μειρακιῶδές τι τὸ πρόβλημα· Δικαίαρχος δὲ καὶ τὸν τρόπον τῆς γραφῆς ὅλον ἐπιμέμφεται ὡς φορτικόν.* Quae profecto ita comparata sunt, ut non possint nisi ab iis profecta esse, qui, quid rerum in Phaedro agatur, ne suspicati quidem sunt adeoque sapientiae Platonicae notitia accuratiore prorsus caruerunt. Nam ut primum moneamus de universi operis argumento, ipse puerulus sit plane necesse est, qui illud puerile esse censeat, adeoque inde colligat, scriptionem esse iuvenilem. Pertinet enim omnis disputatio in eo habita ad rem eius esse iuvenilem. longe gravissimam, quandoquidem ea omnis philosophiae natura interior atque praestantia explicatur. Nam ut paucis dicamus quod res est, egregie docetur a Platone, principium atque fontem verae germanaeque philosophiae in infinito quodam animi desiderio, cui amoris nomen tribuitur, inesse, quo ita fieri soleat, ut animus humanus immenso quodam intuendae rerum coelestium pulcritudinis studio cieatur; huic autem desiderio in hac terrestri vita non aliter posse satisfieri, quam utenda arte dialectica, divino beneficio illa animis hominum impertita. Itaque duplex quasi elementum philosophiae esse ostenditur, alterum divinum amorem, hoc est, infinitam quandam animi concitationem, qua veluti divino numine agitatus ad amplectendam rerum divinarum sive idearum pulcritudinem usque feratur atque abripiatur; alterum artem dialecticam, quae amoris illius desiderio quasi subveniat, quippe cuius usu demum rerum divinarum cognitio aliqua comparari possit. His vero philosophiae elementis

in ipsa hominum vita docetur tamquam ex altera parte respondere amorem vulgo usitatum atque artem rhetoricam. Ex quo sponte intelligitur, qua via et ratione etiam vita communis ad verae sapientiae laudem perfici altiusque educi queat: nam vulgari amore ad divini amoris sublimitatem propius adducto atque artis rhetoricae rationibus ad verae germanaeque dialecticae normam compositis futurum esse significatur, ut etiam vita mortalium philosophiae muneribus splendidissimis condecoretur atque nobilitetur. Hoc igitur illud est, quod in Phaedro egregia disputatione exponitur; huc spectavit philosophi in eo scribendo consilium; quod profecto adeo est magnificum et excelsum, ut facile sentias non potuisse alium nisi perfectae et consummatae doctrinae virum tale scribendi argumentum sibi deligere. Quid vero Diogenes? nimirum is nobis narrat alia omnia, siquidem puerile quiddam dialogo propositum esse scribit indeque concludit, recte videri iudicavisse, qui Phaedrum primum iuvenilis ingenii fetum esse voluerint. At enim vero debuit ille hanc rationem suam, opinor, critico alicui aut partium studio misere occoecato, aut angustiore mente praedito, quam quae rerum tam excelsarum ac sublimium magnitudinem capere posset. Quippe haesit ille temere in hoc uno, quod in Phaedro de amore agitur, plane securus, quorsum iste amor spectaret et quid disputatio de eo instituta propositum haberet. Quocirca festinato iudicio protenus statuit libri argumentum indignum esse provectioris aetatis gravitate. Atque cognatum cum hoc iudicio etiam alterum est a Dicaearcho arcessitum. Nam quod genus scribendi in Phaedro regnat paullo insolentius, id profecto nemini cuiquam mirum acciderit, qui singularem esse rerum in eo tractatarum rationem meminerit. Ac fieri sane potest, ut Dicaearchus, utpote Peripateticus, illud tanquam putidum et ineptum reprehenderit. Quamquam incertum est, quid ille isto suo *φορτικόν* potissimum notaverit, cuius vocabuli usus quam late pateat, si quis plane edoceri cupiat, adeat is Car. Fr. Her-

mannum ad Lucian. De Histor. Conscr. p. 121. sq. Sed quidquid is eo nomine significavit, illud quidem facile intelligitur, etiam hanc caussam et rationem, cur narratio illa, de qua agitur, pro vera amplectenda sit, putidam et ineptam esse. Nam ut Phaedrus hic et illic aliquid habeat, quod φορτικόν appellari liceat, tamen genus scribendi universum, quod in eo regnat, tantis virtutibus insigne est, ut liber ne hac quidem ex parte spectatus praestantissimis maximeque perfectis Platonis operibus ullo modo postponendus videatur. Quid igitur? putabimusne haec de argumento libri deque scribendi genere in eo regnante iudicia profecta esse ab iis, qui aut criticis scriptorum Platonicorum studiis olim operam dedissent aut accuratiorem sapientiae Platonicae notitiam imbibissent, ita ut iis aliquid tribuendum sit? Nimirum istud quidem credant quibus volupe est; nos certe non credimus. Imo putamus esse haec commenta eorum, qui posteriore vixerunt aetate, qua de Platone propter varia partium studia iniquius saepe erat iudicatum, eoque etiam id effectum, ut veritas malis fraudibus et erroribus obfuscata misere depravaretur.

Sed his utcunque disputatis pergimus denique ad alind quid, quod sicuti ipsum quoque valet ad labefactandam narrationis a Diogene proditae fidem atque auctoritatem, ita etiam universae caussae plurimum lucis allaturum est, siquidem nobis contigerit, ut aliquid hariolando proficiamus. Etenim quae adhuc disputavimus, iis sane videmur demonstravisse, testimonium Diogenis eiusmodi esse, cui tuto fides haberi nullo modo possit. Est enim fons eius primarius omnino ignotus; fides eorum, qui illud memoriae prodidisse putantur, vel propterea suspecta, quod quid quantumque sit, quod iis revera debeatur, non exploratum habetur; ipsius Diogenis auctoritas, qui incertam famam videtur sequutus esse, non magna; denique pondus et momentum argumentorum a Diogene pro narrationis a se proditae veritate allatorum adeo leve et exiguum, ut plane pro nullo ducendum sit. Nihilominus autem suspicamur narratiunculam non plane falsam aut omnino reiiciendam esse, quippe quae videtur primitus quidem ex limpido aliquo fonte prodiisse, sed postea per fraudem atque errorem esse corrupta et contaminata. Enimvero solent profecto talia, qualia tradidit Diogenes, non facile de vano hauriri; imo valet etiam hoc in genere, quod vulgo dictitari solet, nullum temere ferri rumorem, cui non aliquid veri subsit. Itaque nobis ubi contigerit esse tam felicibus, ut primarium illum fontem, temporum iniuria obrutum, si non certo operae eventu demonstrare, at saltem verisimiliter indagare liceat, videbimur sane aliquid perfecisse, quod ad totam caussam cognoscendam atque diiudicandam plurimum momenti faciat. Nam ita quum fraudes liceat detegere, quibus genuina contaminata atque inquinata sint, tum etiam cognoscere et intelligere poterimus, quid tandem sit, quod antiquitus de Phaedri tempore natali a criticis aut historicis memoriae proditum fuerit.

Quocirca tandem etiam coniecturam aliquam nostram expromsisse iuvabit, unde fortasse quid rei sit denique cognoscatur. Suspicamur igitur caussam et opportunitatem narrationis a posterioribus scriptoribus proditae hanc fere extitisse. Scripsit Plato Phaedrum dialogum, quantum quidem ex libri argumento colligi potest, quo tempore post diuturniora itinera aliquando in patriam redux factus scholam aperire atque sapientiae copias interea collectas ita cum civibus suis communicare constituerat, ut iam tandem omnem doctrinae suae rationem palam faceret et explicaret. De qua re satis videmur exposuisse in Commentatione nostra *De primitiis Phaedri Platonici.* Iam vero eodem tempore primum propriae sapientiae laude inclaruit atque nomen adeptus est perfecti philosophi, qui non amplius ab aliorum penderet auctoritate, sed propriam sibi disciplinam invenisset inventamque perfecisset. Quod qua ratione ab eo factum fuerit, breviter ostendimus Prolegg. ad Opp. Plat. Vol. I. p. XXII. sqq. ed. III. Itaque Euse-

bius in Chronico ad Olymp. XCVII. 4. scribit, eo tempore Platonem agnitum esse pro philosopho. Nimirum refert ille, sicuti videtur, ad Olymp. XCVII. 4., quae secundum alios ad Olymp. XCVIII. in. pertinent. v. Diodor. XV. 7. coll. Müller. Aeginetic. p. 190. sq. Quamquam etiam primum philosophi iter in Siciliam ob oculos habere potuit; quae sententia est Clintonis Fast. Hellenic. p. 107. ed. Krüger. Redux igitur in patriam factus primum evulgavit Phaedrum, in quo philosophiae vim naturamque primum sua ratione aperuit singularique animi altitudine ac rara orationis granditate praedicavit. Hinc vero nata est, si quid coniicere licet, fabula ista de Phaedro iuvenilis ingenii fêtu, ne dicamus abortu. Quod enim antiquiores scriptores, ac fortasse etiam Panaetius et Euphorio, si tale quid ab iis litteris perscriptum fuit, narraverant, Phaedrum primum fuisse opus, quod Plato, quo tempore perfecti philosophi laudem adeptus esset atque philosophiam tradere instituisset, litteris consignasset et in lucem publicam emisisset, id posteriores, re male intellecta, ita acceperunt, ut scriptionem libri continuo ad philosophi adolescentiam referrent. In quo fortasse illo ipso quoque in fraudem inducti sunt, quod familiae Academicae adversarii de laudibus libri quovis modo detrectare conati erant. Atque haec si probabiliter coniecimus, videtur etiam hinc existimari posse, quid de Diogenis testimonio omnino statuendum sit. Vera enim in eo falsis permixta sunt. Quae autem veri vestigia referunt, ea tantum abest ut testentur quod multi volunt, Phaedrum a Platone admodum adolescente scriptum esse, ut alia omnia confirmare videantur. Fit enim hinc quoque verisimile quod ex ipso libri argumento coniecimus, scriptum esse dialogum Olymp. XCVIII. in. vel etiam paullo ante.

Verum satis haec de Diogene. Sequitur, ut etiam Olympiodori testimonium examinandum sit. In quo quidem vel propterea nobis

brevioribus esse licebit, quod universae narrationi ab eo proditae quid tribuendum sit, iam ex superioribus liquere arbitramur. Itaque paucis disquisivisse iuvabit quae ab eo litteris perscripta sunt. Leguntur autem apud eum p. 76. ed. Fischer. haec: *ὅτι δὲ (ὁ Πλάτων) τοὺς διθυράμβους ἤσκητο, δῆλον ἐκ τοῦ Φαίδρου τοῦ διαλόγου, πάνυ πνέοντος τοῦ διθυραμβώδους χαρακτῆρος, ἅτε τοῦ Πλάτωνος τοῦτον πρῶτον γράψαντος διάλογον, ὡς λέγεται.* Haec igitur sunt verba Olympiodori, quibus confisi critici ita statuendum esse sibi persuaserunt, ut Phaedrum dialogum existimarent iuvenile esse Platonis opus.

Iam vero ubi nos quid de illius fide et auctoritate sentiamus rogaveris, aperte profitemur, eam nobis etiam aliquanto leviorem videri quam Diogenis Laërtii. Quod quo iure ita statuamus, sponte intellectum iri speramus, ubi quid sit, quod ab eo tradatur, paullo diligentius consideratum fuerit. Dicit autem omnino hoc: Platonem iuvenem operam dedisse poësi dithyrambicae; id manifestum esse e Phaedro dialogo utpote dithyrambicum quiddam spirante; nam eum dialogum ferri omnium primum ab eo litteris consignatum esse. Quae omnia atque singula ubi accuratius exploraverimus suisque momentis ponderaverimus, certe nemo dubitabit, quin omnino futilia sint adeoque partim temere conficta vel turpissima rerum diversarum confusione conflata.

Nam primum quidem ne Olympiodorus quidem idoneum auctorem memorat, qui ista de Phaedri natalibus memoriae prodiderit. Imo ultro confitetur se incertos rumores sectatum esse, quippe addens istud suum *ὡς λέγεται.* Nimirum amplexus est bonus homo pro sua credulitate nubem pro Iunone, quandoquidem narrationem nefariis commentis deturpatam pro vera atque germana accepit, eodem errore admisso, in quem antea eos omnes incidisse coniecimus, qui Phaedrum pro prima summi philosophi scriptione habuerunt. Iam vero hinc profectus etiam inde conclusit, Platonem adolescentem coluisse poësin dithyrambicam.

In quo rursus, si quid indicare possumus, mira quaedam cernitur indicii perversitas. Nam ut Phaedrus dialogus habeat quod prope accedat ad dithyramborum similitudinem, tamen illud neutiquam est eiusmodi, ut inde de iuvenilibus philosophi studiis aliquid colligi liceat. Nam habet quidem liber, inprimis nobilissimo illo loco, quo Socrates divini vim amoris illustrat, orationem grandem, vividam, audacem, ut subinde plane ad poeticam sublimitatem assurgat; sed profecta omnis haec sententiarum verborumque magnificentia est vel ab ipsarum rerum, quae tractantur, altitudine vel ab animi cogitatione earum repleti interiore quadam concitatione gravique commotione, ut non tam a dithyrambicae poesis studio quam ab magni atque generosi pectoris motu atque sensu repetenda sit. In quo profecto non fucatam tirunculi alicuius artem, sed nativam perfecti sapientis virtutem agnoscendam putamus. Itaque non magis inde liceat concludere Phaedrum adolescentiae Platonis deberi, quam ex Convivii argumento aut ex locis Politiae aliorumque librorum illustrioribus recte collegeris, eos ab adolescente scriptos esse. Nimirum de Platone etiam aetate provectiore merito dici illud potest, quod alicubi Livius scribit, *vividum ingenium in vivido pectore viguisse.* Sed nolumus in praesenti haec amplius persequi, quae alio loco copiosiore disputatione explicanda erunt. Satis erit paucis ostendisse, quam perversum sit ex verborum pariter atque sententiarum sublimitate et audacia, quae in Phaedro passim mirabiliter elucet, colligere velle, librum ab iuvene ac paene puero scriptum esse. Id quod sane bonus Olympiodorus fecisse existimandus est, qui etsi revera id agit, ut ex Phaedro probet Platonem iuvenem dithyrambicae poësi operam dedisse, tamen istis ipsis simul etiam declarat, Phaedrum sibi iuvenile quiddam habere videri utpote dithyrambici quid referentem. At nimirum fieri potest, ut ille in hunc errorem inductus sit iniquis eorum iudiciis, qui elocutionem Phaedri severius taxavissent et tamquam nimis affectatam

reprehendissent. In quorum numero, ut antea vidimus, fuit etiam Dicaearchus Peripateticus, aequalis Aristoxeni, qui, ut ait Diogenes, *τὸν τρόπον τῆς γραφῆς ὅλον ὡς φορτικόν* notavit. Atque eodem referendus est etiam Dionysius Halicarnassensis Epistol. ad Pompeium §. 4. 8. p. 162. et De admir. vi Demosthenis p. 969. sqq. ed. Reisk. Is enim Platonem in Phaedro arguit prosae orationis fines migrasse ideoque ei *ψόφους καὶ διθυράμβους καὶ κόμπον ὀνομάτων πολὺν* opprobrio vertit, id unum agens scilicet, ut Demosthenem evincat bene dicendi scribendique virtute ceteros omnes facile superare. His igitur atque similibus rhetorum et philosophorum superiorum iudiciis factum est fortasse, ut bonus Olympiodorus in aestimandis scripti Platonici virtutibus transversus ageretur ac pro puerili haberet, quod, si consideratur accuratius, maximae ingenii sollertiae consummataeque eruditionis ac doctrinae argumentum censeri debeat. Verum enim vero hoc quum per se sit minime veridissimile, tamen alia quoque extitit caussa erroris, quo ille sese implicari passus est. Demonstrari enim certissimis rei indiciis potest, male eum duas diversas narrationes confudisse vel potius contaminasse, eoque factum esse, ut ipse ad novum errorem prolaberetur. Etenim narratum fuerat ab antiquioribus, Phaedrum primum fuisse dialogum, quem Plato conscripsisset. Narratum item fuerat, primum philosophi libellum fuisse carmen dithyrambicum; id quod diserte destatur Diogen. Laërt. III. §. 5. *καὶ γραφικῆς ἐπιμεληθῆναι (φασίν), καὶ ποιήματα γράψαι, πρῶτον μὲν διθυράμβους, ἔπειτα καὶ μέλη καὶ τραγῳδίας.* Quid igitur bonus Olympiodorus? Nimirum is incredibili plane levitate inde protenus conclusit, Phaedrum esse documentum studiorum olim a Platone puero et adolescente in poësi dithyrambica positorum; hunc enim primum ab eo scriptum fuisse memoriae proditum esse. Itaque homo duabus narrationibus, quarum altera genuina, altera erroribus depravata ferebatur,

